



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XLVI. Christus Dei Filius per summam injustitiam postulatur,  
& condemnatur ad crucis mortem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



## CONSIDERATIO XLVI.

Christus Dei Filius per summam injustitiam postulatur, & condemnatur ad crucis mortem.

*Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Jo. 19. 16.*

1.

Dan. 6. 16.

Jo. 19. 16.

Psal. 16. 17.

Sap. 2. 20.

Jo. 19. 5.

**M**ultum laboravit Rex Darius, ut Danielem innocentem à lacu leonum liberaret. Tandem ad importunam Satraparum instantiam victus, qui ei præfecturam invidebant, statuit per edictum, ut Daniel ad leones damnaretur: *Tunc Rex præcepit: Et adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum.* Daniel in multis Christi typus fuit, sic etiam in hoc cum à Pilato Romano Præsidente ad instantiam invidorum Judæorum victo, ad mortem crucis injustissimè condemnatus est, ubi reverà in lacum leonum missus fuit: *Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt,* hoc est Christi hostes infensissimi, milites & Judæi, qui eum purpureâ veste, qua erat indutus, exutum, propriisque vestimentis cinctum non ut hospitem & peregrinum susceperunt, sed ut ipse priùs per Vatem Regium dixit: *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam.* In quem locum S. Augustinus: *Susceperunt me sicut ille adversarius circumiens, quærens quem devoret.* Ecce quàm bene crudelitas leonis famelici cum crudelitate Judæorum comparata est; sicut enim leo famelicus summa celeritate excoriat, dilaniat, ac devorat agnum: Ita Judæi in innocentissimum Redemptorem nostrum sævientes, eum brevi tempore variis suppliciorum generibus, ac tandem in infami cruce consummarunt; unde apud Sapientem: *Morte turpissima condemnemus eum.*

2. Ad Pilatum revertor, qui postquam prætorium intravit, ubi Dei Filius tam horrendum in modum flagellatus, spinisque coronatus est, videns eum toto dilaceratum corpore, ac cruentatum, ut Judæorum gentem ad commiserationem moveret, egressus foras Christum universo populo ostendit, dicens: *Ecce homo.* O Angeli ubi estis? Accurrite



currere ad hoc cruentum spectaculum, & Regem vestrum considerate; Accurrite homines ad compassionem, imò & vos dæmones ad stuporem & confusionem vestram: *Ecce Homo*, in quo non est, nisi unum vulnus, quia toto corpore laceratus. Et quid audio? *Tolle, tolle, crucifige eum*, & iterum: *Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.* O Pater cœlestis, quid tu ad ista? *Ecce universa multitudo dilectissimum Filium tuum postulat ad mortem, mortem autem crucis, quid tu ad ista?* R. *Crucifigatur*, ita decretum, ita statutum est, & quia ipse voluit, & amor meus erga hominem vult ipsum cruci esse affixum: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* O pientissima sed & afflictissima Mater JESU, qui tu ad hunc feralem clamorem? R. *Crucifigatur*, quia voluntas Dei est, cui contradicere non possum, ut salvetur genus humanum per arcam crucis. O Angeli & quid vos? R. *Crucifigatur*. Ergo Rex & Deus vester crucifigatur, quid enim mali fecit? Mori debet, respondent omnes, quia sic implebit ruinas Angelorum, & loca de cœlo lapsorum. Et tu Adam protoparens noster quid hac in causa judicas? R. *Crucifigatur*, quia expedit, ut unus homo, & quidem hic Homo moriatur pro populo & universo genere humano, ut non tota gens pereat; Ego olim in paradiso per lignum perdiidi filios meos, hic per lignum crucis meos salvabit filios, *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* Et tandem peccator, quid in hac gravissima causa reponis? R. *Crucifigatur*. Bene est, ergo JESUS *crucifigatur*? O amantissime JESU, actum est de te, actum est de te.

3. Hic adimpletum est illud Davidicum: *Captabunt in animam justi, & sanguinem innocentem condemnabunt.* Pilatus licet antea toties Christum innocentem declaraverat: *Innocens ego sum à sanguine Justi hujus, quem insuper sciebat per invidiam Judæorum esse traditum, ærumnis maximis agitatum, toto corpore afflictum, & jam jam penè animam agentem, his tamen non obstantibus benignissimum JESUM infami crucismorti addidit: Jesum Nazarenum abjudico vitæ, & adjudico morti crucis.* O vocem funestam! homo impius & mille infernis dignus audeat Authorem vitæ & Dominum universorum ad tam crudelem, ac tam cruentam addicere mortem. O cœli obstupescite.

4. Paratur igitur sedes judicii; Judex enim Romanus sedens debebat ferre mortis sententiam: *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi & justo illi: multa enim passa sum hodie per visum.* Et quid passa es Claudia Procula uxor Pilati, postea ad Christum conversa? *Observa: Nullus Evangelistarum hoc commemorat.*  
S.Au-



S. Aug. serm.  
17. de Temp.  
S. Ignat. M.  
ep. ad Philip.

S. Augustinus hic subintrat: *Uxor verberatur in nocte, ut admoneat virum de die.* Et fortasse etiam veris flagellis verberata est.

R. S. Ignatius M. crucem trophaum adversus diaboli potentiam appellans, principium damnationis, mortis & ruina ejus. Et quemadmodum sagax diabolus mulierem in paradiso submiserat ad perdendum genus humanum; ita multi SS. Patrum affirmant, quod in genere redemptionis nostrae, quia vires suas per Christi passionem fractas vidit, per mulierem crucis mortem in Christo voluerit impedire, ne salvaretur ab interitu genus humanum. Sed non audivit Pilatus hujus uxoris

Matth. 27. 24. suae intercessionem, nisi in hoc: *Innocens ego sum à sanguine justis hujus: vos videritis; & respondens universus populus dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* O crudelissimi Patres, imò canes rabidissimi, quibus non sufficiebat damnatio propria, sed totam posteritatem tanto scel-

S. Vin. Ferr.  
ser. de Parasce

leri & deicidio voluit esse obnoxiam; Unde S. Vincentius Ferrerius: *O quam horrendum testamentum fecit hic populus stultus, manet enim hoc testamentum usque in hodiernum diem: nam in signum hujus vindictae, quando molesli Judaeorum de hoc genere, qui sic clamabant, nascuntur, habent manum dexteram plenam sanguine capiti innixam.*

5. David ab Abisai saepius erat monitus, ut contra Saul capitalissimum hostem suum machinaretur necem; Ingruebat tempus nocturnum, ingreditur David in summo silentio Saulis tentorium, reperit occasionem peraccommodam illum è medio tollendi, sed noluit hoc scelus committere: *Quis enim, inquiebat, extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Et nunquid Saul ex pluribus causis promeruit mortem, qui jam tunc à DEO erat reprobatus, ne ulterius regnaret super Israël? Ita quidem est; sed noluit David manus suas in hujus scelerati Regis lavare sanguine.

O Pilate! quid tibi mali fecit mitissimus JESUS? Agnovisti ipsemet, & palam testatus es eum esse justum & innoxium, cur ergo Matth. 27. 24. lavas manus, antequam in eum mortis proferas sententiam: *Accepta aqua lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine justis hujus?*

S. Ambr. in  
Luc. 23.

Lavit quidem manus, ait S. Ambrosius, sed facta non diluit; Judex enim nec invidia cedere debuit, nec timori, ut sanguinem innocentis damnaret. Observa: Vocat illum justum, & tradit eum tanquam summum malefactorem in mortem crucis; qualis obsecro, Innocentiae puritas, aqua in manibus & sanguis in conscientia. O maledictum interesset tu hoc fecisti. Attendite Judices universi, timeo, quin in multis adhuc hodie verificetur illud Isaiae: *Manus enim vestrae sanguine plenas sunt.*

Isa. 1. 15.

Psal. 74. 3.

sed veniet tempus, quando idem hic Dominus nunc ad mortem damnatus justitias vestras judicabit: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.*

6. Ca-



6. Cæterum legimus in Deuteronomio Judæis hanc à DEO legem esse datam, quòd si inventum fuisset in via cadaver hominis interfecti, acciperent vitulam rufam, & primates civitatis cædentes vitulam, aquâ lavarent manus suas super vitulam, dicentes: *Manus nostra non effuderunt sanguinem hunc; neque oculi viderunt. Propitius esto populo Israel, quem redemisti Domine.* Observa Lector prudens; Per omnes ejusmodi victimas mundas ac legales olim in umbra designata fuit ac præfigurata innocentissima victima (Christus JESUS) olim in ara crucis pro salute omnium immolanda; Lavit quidem manus Romanus Judex, ut suam testaretur innocentiam, sed incassum, sed neque Judæi volebant esse interfectores Christi: *Nobis non licet occidere quemquam.* Quis ergo Christum Dominum ad mortem crucis condemnavit? O amor divine, ô amor, ô amor, tu hoc fecisti, *de DEO enim*, ait Mellissius, *triumphavit amor.*

7. Redeo ad Pilatum natione Gallum, patriâ Lugdunensem. Fuit is spurius, patre nobilissimo Regulo Tyro sed matre fordida natus: *Mallon, de Adolefcens & vir pessimis moribus, fratricida, seditiosus & versipellis, s. Sind. c. 19.* ab Imperatore tamen Tyberio Judææ procurator constitutus est; post Christi obitum & ascensionem in cœlum Romam citatus in exilium missus est, in quo Lugduni, divinam in se advertens ultionem, in desperationem actus, sibi ipsi mortem conscivit, ut, qui iniqui Judicis officio functus est, dum Authorem vitæ ad crucem damnavit, ipse sibi gladio cor transverberaret, & animam in Orcum transmitteret; ita enim decebat, ait Mallonius, ut divina sic ulciscente vindicta, pessimus vir propria se manu transfoderet, cum pejorem se judicem invenire non posset, cujus auctoritate necaretur. Advertant hoc omnes iniqui Judices.



*Ginther Unus pro omnibus.*

Z

CON-